

IX. *Seria admonitio ad iudices directa* de iustitia in causis criminalibus rectè administranda, ut nimirum cautos & providos in iudicando se præstent, & per suam sententiam nemini præjudicent, vel irreparabile ei inferant damnum. Iudices enim Judicium exercent nomine Domini ita, ut si quid ipsi neglexerint, vel non rectè perfecerint, aut in iudicando aberraverint, illud ipsis unicè sit imputandum.

Neque X. illis prodesse potest *Ignorantia*, cum Imperator istam certè excusationem jam tum rejecerit, dum illos iusserit peritiores consulere. Ita ut si ipsi non intelligant, quomodo in illa causa criminali sit procedendum, Jctorum Consiliis uti queant. Ubi itaque peritiores consuli possunt, Juris ignorantia Iudices in commisso errore, quem evitare potuerant, non excusat. Qua de causa quoque Imperator Iudices istos admonere voluit, ne postmodum ignorantia se excusare queant. Itaque qui rectè iudicare volunt, ad duo cum primis attendant: (1) *ut Supremum Numen devotâ mente venerentur*, quoniam sciunt, quòd DEO Judicium exercent: & in ejus conspectu Iustitiam administrant. Sed vae illis! qui iustitiam nec rectè aut legitimè exercent. (2) *Ut leges diligenter pervolvant & exactè sciant*: aut si Iudicum status & conditio non ferat, exactè Leges scire, tamen peritiores consulant, quorum Consiliis instructi tandem iustam sententiam ferre queant, quandoquidem Imperator excusationum ignorantiae penitus rejecit.

**DEO SOLI GLORIA!**

**Index**